

victus fuerit injuste movisse litem, expensarum sumptuumque nomine decimam partem quantitatis in libello comprehense pulsato restituat: aut si fideiussorem dare non valet, super iisdem juratoriam exponat cautionem, et tactis sacrosanctis Evangelis, adfirmet, se fideiussorem dare non posse: poena iudicii et ejus officio imminente, si aliter versati fuerint, in denis libris auri, executoris autem bona publicabuntur, et damnabitur in exilium: nisi causa moveatur ex consensu utriusque partis.

26. Imp. LEO A. Juliano praefecto praetorio

Decernimus, ut posthac neque monachi, neque quicumque alii cujuscunque status atque fortunae in aedes publicas, vel in quaecunque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem crucem et sanctorum martyrum reliquias illicite inferre conentur, vel occupare audeant ea, quae vel ad publicas causas, vel ad populi oblectamenta constructa sunt. Cum enim religiose aedes non desint; possunt ibi, consultis prius (ut oportet) religiosissimis episcopis, reliquias sanctorum martyrum, non quorundam usurpatione, sed arbitrio reverendissimorum antistitum collocare. Ideo patientiam et modestiam suam, quam leges nostrae et publica disciplina, et ipsorum monachorum nomen exposcit, studiose unusquisque, tam monachus, quam cujuslibet alterius professionis retineat, et perpetuo observare procuret.

27. Idem, A. Eutychio P. P.

Quisquis emensis militiae suae stipendiis, expletisque officiis, sive muneribus, quae cuicumque conditione, aut consuetudine, aut lege debebantur, ad consortium se contulerit clericorum, et inter ministros vere orthodoxae fidei maluerit, et elegerit numerari, nullius prorsus sententiae acerbitate revocatur: nec a Dei templis, quibus se consecravit, importunis intentionibus abstrahatur: sed in iisdem beatissimis ministeriis securus permaneat et quietus, ad quae post longi laboris lassitudinem ob reliquae vite requiem consilio meliore protractus est: his actionibus, si quae contra eum ejusque patrimonium legitima intentione competunt, pro juris ordine responsurus exceptis primipilaribus, quos praecipit tui culminis, et publicis utilitatibus in perpetuum esse subjectos, sacrasissimae constitutionis statuta sanxerunt.

28. Idem, et ANTHEMUS AA. Nicostrato P. P.

Nulli licere decernimus, sive testamento heres sit institutus, sive ab intestato succedat, sive fideicommissarius, vel legatarius inveniatur, dispositiones pii testatoris infringere, vel improba mente violare, adserendo incertum esse legatum, vel fideicommissum, quod redemptioni captivorum relinquatur: sed modis omnibus exactum, pro voluntate testatoris, pie rei negotio proficere. — § 1. Et si quidem testator designaverit, per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, is, qui specialiter designatus est, legati vel fideicommissi habeat exigendi licentiam, et pro sua conscientia votum adimpleat testatoris. Si autem, persona non designata, testator absolute tantummodo summam legati, vel fideicommissi taxaverit, quae debeat memoratae causae proficere: vir reverendissimus episcopus illius civitatis, ex qua testator oritur, habeat facultatem exigendi: quod hujus rei gratia fuerit derelictum, pium defuncti propositum sine ulla cunctatione, ut convenit, impleturus. — § 2. Cum autem vir religiosissimus episcopus hujusmodi pecunias pio relictis arbitrio fuerit consecutus: statim gestis intervenientibus, earum quantitate, et tempore, quo eas susceperit, apud rectorem provinciae publicare debebit: post unius vero anni spatium, et numerum captivorum, et data pro his pretia cum manifestare praecipimus: ut per omnia impleantur (tam) pie deficientium voluntates: ita tamen, ut religiosissimi antistites gratis, et sine ullo dispendio predicta gestaificent: ne humanitatis obtentu relictae pecuniae, iudiciorum dispendiis erogentur. — § 3. Quod si testator, qui hujusmodi legatum vel fideicommissum non designata persona reliquit, barbarae sit nationis, et de ejus patria aliqua emerit ambiguitas, vir reverendissimus episcopus civitatis ejus, in qua (idem) testator defunctus est, ejusdem habeat legati seu fideicommissi petitionem, defuncti propositum modis omnibus impleturus. — § 4. Quod si in vico, vel territorio testator mortem obierit, illius civitatis vir reverendissimus episcopus exactorem habeat, sub qua vicus, vel territorium esse dignoscitur. — § 5. Et ne pium defuncti propositum improba fraudatorum calliditate celetur: quidquid pro hujusmodi causa a testatore relictum fuerit, universi, qui id quocunque modo cognoverint, vel in viri clarissimi rectoris provinciae, vel in urbis episcopi notitiam deferendi liberam habeant facultatem: nec delatoris nomen suspicionemque formident: cum fides atque industria eorum tam laude, quam honestate,

54. L. 24, supr.; L. 49, pr. infr. h. t. — 55. N. 151, c. 11. — 56. Adde § 5, infr. h. l. — 57. L. 50, D. ad municipales. — 58. L. 2, in princ. D. de iure fisci; N. 7, in epilog. — 59. Arg. L. 25, in fin. infr. de legat. — 60. Adde L. 4, supr. de summa Trin. — 61. L. 15, in fin. supr.

ac pariter pietate non careat, cum veritatem in publicas aures lucemque dederint.

In AUTHENT. de Eccles. tit., § si quis autem pro redemptione, col. 9, tit. 14, al. tit. 6, seu Novell. 151, cap. 11.

Licet testator, vel donator interdixerit et aliquid ad hoc participium in ea re habere. Idem est in oeconomis. — § 1. Sed si hi, qui facere jussi sunt, neglexerint, semel vel bis ab episcopo vel oeconomis admoniti per publicas personas amittant lucrum, quod eis contingebat ex voluntate defuncti: et episcopus habeat licentiam vindicare illud lucrum: et illud quod distribui debet, distribuere: quod si non fecerit, rationem reddere debet.

29. Imp. LEO et ANTHEMUS AA. Zenoni stratego.

Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exendi ne habent, vel in Antiochensi civitate, seu aliis quibuscunque civitatibus conversandi: exceptis duntaxat apocriariis, quibus licentiam damus volentibus, ut apocriicon solarum causa exire possint. Caveant autem hi qui ita exiunt, ne de religione vel doctrina disputent, vel conciliabulis praesint, vel turba concitata simpliciorum animos seducant: scituri, quod si nostrae pietatis statuta neglexerint, legum austeritati subjiciantur. — Dat. kal. Jun. CP. LEONE et PROBANO CONSS. 466.

30.

Episcopis interdicitur, ne quem a sacrosancta ecclesia vel communione segregent, nisi iusta causa probata sit. Qui vero citra probationem hanc segregat, a sacra communione quoddam ad tempus arcetur.

31. Idem, AA. Armasio praefecto praetorio.

Si quemquam vel in hac regia urbe, vel in ceteris provinciis, quae toto orbe diffusae sunt, ad episcopatus gradum proveli Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus nuda electionis conscientia, sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotii pretii venalitate meretur: quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, aestimetur. Profecto enim quis locus tutus, et quae causa esse poterit excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur; quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat? quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesset altaribus imminere profanus ardor avaritiae, et a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus et humilis nostris temporibus cligatur episcopus: ut quocunque locorum pervenerit, omnia vitae propria integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitatus: cum sane si quis hanc sanctam et venerandam antistitis sedem pecunie interventu subisse, aut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis et laesae majestatis accusatione proposita a gradu sacerdotii retrahatur. Nec hoc solum deinceps honore privari, sed perpetuae quoque infamiae damnari decernimus: ut eos, quos par facinus inquinat et aequal, utrosque similis poena comitetur. — D. 8 id. Mart. Constantinop. MARCIANO et ZENONE CONSS. 469.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § pra omnibus, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 125, c. 2.

Quod pro hac causa datum est, et pretium, quod expensum est, restituatur ecclesiae, cuius sacerdotium voluit comparare.

32. Idem, AA. Dioscoro praef. praet.

Orphanotrophos hujus inelytae urbis (nulla subtilitate juris obsistente) qui quidem pupillorum sunt quasi tutores, adolescentium vero quasi curatores, sine ullo fideiussionis gravamine in emergentibus causis tam in iudicio, quam extra iudicium (ut opus exegerit) ad similitudinem tutoris, et curatoris, personas et negotia eorum (si qua possint habere) defendere ac vindicare jubemus: ita videlicet, ut praesentibus publicis personis, id est tabulariis, ad intervenientibus gestis in hac quidem inelyta urbe apud virum perfectissimum magistrum census, in provinciis vero apud moderatores earum, vel defensores locorum, res eorum eis tradantur, a quibus sunt custodiendae: ut, si quas earundem rerum, propter foenus forsitan, vel aliam urgentem causam, vel eo quod servari non possunt, alienandas esse perspexerint, prius habita aestimatione, liceat eis alienationis inire contractum: ut pretia eorum, quae exinde colliguntur, ab eisdem personis custodiantur. Hujusmodi autem pium atque religiosum officium pro tempore orphanotrophos ita peragere convenit, ut

hi t. — 62. N. 6, c. 1, § 3; N. 125, c. 3, in fin. — 63. d. N. 6, c. 1, § 2. — 64. Arg. N. 71, c. 6, adde L. 18, § 1, D. ad leg. Corn. de falsis; L. 25, D. de procur. — 65. L. ult. infr. ad leg. Jul. repetund. — 66. N. 151, c. 15. — 67. Confer. L. 24, infr. de admin. tut.

minime ratiocinibus seu curationibus obnoxii sint: grave enim atque iniquum est, callidis quorundam (si ita contigerit) machinationibus eos vexari, qui propter timorem Dei, parentibus atque substantiis destitutos minores sustentare, atque velut affectione paterna educare festinant.

33. Idem, AA. Eutropio P. P.

Omnes, qui ubique sunt, vel posthac fuerint orthodoxae fidei sacerdotes et clerici cujuscunque gradus sint, monachi quoque, in causis civilibus ex nullius penitus majoris minorisve sententia iudicis [commonitoria] ad extranea iudicia pertrahantur: aut provinciam, aut locum, aut regionem, quam habitant, exire cogantur: nullus eorum ecclesias, vel monasteria propria, quae religionis intuitu habitant, relinquere miserabili necessitate jubeatur: sed apud suos iudices ordinarios, id est, provinciarum rectores, in quibus locis degunt, ecclesiarum ministeriis obsecundent, omniumque contra se agentium excipiant actiones: ut his horis saltem atque temporibus, quibus religiosos viros a turbulenta observatione praetorii vacare contigerit, cumque eos ad tempus petitionum intentio calumniosa laxaverit, ad sua se monasteria et venerabiles ecclesias conferentes, sapienti animo, precatone sollicita, faciliusque de proximo sacrosanctis altaribus obsecundent, in suis laribus domicilliisque constituti. — § 1. In hac autem regia urbe, si quando cujuscunque rei causa episcopus, vel presbyter, ceterosque clericos, qui sacrosanctis ecclesiis obsequantur, sive monachos ex aliis quibuscunque provinciis contigerit reperiri, quos tamen in litem quisquam vocare voluerit, in nullo alio sit licitum memoratos cuiquam pulsare iudicio, nisi in tuae sublimitatis dantaxat examine, ubi eis et beatitudinis honor debitus reservetur, et oratorum adfluent in defensionibus copia large praestetur. — § 2. Praeterea cum in provinciis ex eius, qui regit provinciam, fuerint sententia, vel interlocutione conventi: sive illi sacerdotes, sive cujuscunque gradus clerici, sive monachi habeantur, dummodo approbatur orthodoxi, qui in propriis causis contractibusve pulsantur, non alios quam ecclesiae propriae defensores, seu quos oeconomos appellant, fideiussore praebant: ne, dum executoris pertinax, et avara protervitas extraneos, et idoneos fideiussore flagitat, multiplex innoxiae paupertati infligatur incommodum. — § 3. In hac autem inelyta urbe inventi, ex quacunque provincia venientes, cum in tuae amplitudinis iudicio (quod eis solum delegavimus) lite pulsati fuerint, reverendissimi orthodoxae fidei sacerdotes, seu certe economi, aut ecclesiae defensores, seu clerici in causis civilibus suis, vel ecclesiasticis, nulla praebendi fideiussore molestentur injuria: sed aut vicariis fideiussionibus contra dantur, quas tamen stipulationum solennis cautela vallaverit: aut cautioni, et professioni propriae, aut facultatum suarum obligationibus committantur.

Hoc nihilominus observando, ut in causis ecclesiasticis nullum alium conveniri fas sit: nisi eum, quem dispensatorem pauperum, id est, oeconomum ecclesiae, episcopi tractatus elegerit: hunc enim sine dubio a sacerdote conventum ordinari: quem tamen conventum defensoris ecclesiae fidei committi praecipimus. — § 5. Executoribus in minoribus quidem iudiciis omnibus in ipsa conventione sacerdotum, seu clericorum, non amplius, quam unum semissem aut sperantibus, aut etiam audentibus accipere. Verum si apparitor tuae magnitudinis, ex sententia tuae sedis amplissima in provincia degentes eos commonuerit: jubemus, non amplius eum quam duos solidos sportularum nomine accipere. In hac vero urbe magnifica idem apparitor tuae magnitudinis uno aereo, sportularum gratia a provincialibus clericis contentus sit: quantalibet summae qui conventus fuerit, exponatur obnoxius. — § 6. Praeterea nullus executor vexare contumeliis clericos ullos, nullis impulsione molestare, nullis exprobrare conviciis aut corporalibus injuriis fatigare conetur: his, qui hujusmodi aliquid aggressi fuerint, post amissionem cinguli et patrimonii ultima prolians animadversione plectendis. — § 7. Privilegiis sane singularis, quibuscunque sacrosanctis ecclesiis orthodoxae fidei, xenodochiis, sive ptochotrophis, tam generaliter, quam specialiter attributis, perpetuo observandis: nullis eas, earumque sacerdotes, aut clericos cujuscunque gradus sint, aut monachos ptochotrophos, aut xenodochos orthodoxae fidei deputatos, extraordinariis muneribus praecipimus praegravari: eas etenim sarcinas oneris, quas plerisque personis diversa ratione remittimus, imponi beatissimis viris nostro seculo inconveniens esse iudicamus. — § 8. Praeterea, ne qui temeritas sua lucrativa concedatur, et ut impudens calumniantium refrenetur audacia: jubemus, quotiens hi qui sacerdotes, seu clericos ac monachos, ceterosque superiores designatos,

68. d. N. 151, c. 15; vide tamen N. 125, c. 15. — 69. Adde N. 79, 85. — 70. L. 55, § 4, D. de recept qui oritur. — 71. L. 25, in pr. supr. h. t.; L. 25, infr. tit. prox.; d. N. 83. — 72. Adde N. 89, c. 2, § 1, in fin. — 73. L. 25, § 1, supr. h. t.; N. 125, c. 21, in fin. — 74. d. N. 125, c. 28, in fin. — 75. Immo vide L. 25, § 1, vers. ipse vero supr. h. t. — 76. d. L. 25, § 2, ult. supr. iud.; N. 125, c. 28. — 77. L. 22, § 2, supr. h. t. — 78. L. 5, supr. tit. prox. — 79. L. 2, supr.

vel in tuae magnitudinis examine, vel in provinciali iudicio, proposita actione convenerint; si causa cognita convicti fuerint sine justa eos causa et legitima petitione pulsasse; omnes eis legitimas expensas sumptusque, quos ab exordio caepae controversiae ipsorum vitio tolerasse eos constitierit, redhibere cogantur: ut hac saltem censura justissima formidine revocati, qui improbis assidue conflictationibus occupantur, acquiescant: jamque sopolitis clamoribus jurgiorum, magistra deinceps necessitate retinere se aduescant.

In AUTHENT. apud quos oportet causas dicere monachos, § 1, collat. 6, tit. 8, al. tit. 6, seu Novel. 79, c. 1 et 4.

Causa, quae fit cum monacho, vel cum muliere qualibet in monasterio consistente, non apud iudicem civilem ventiletur; sed apud episcopum, qui de personae praesentia, quod convenit, statuet: sive per abbatem, vel antistitem, vel per alios hoc fieri debeat: qui secundum legem rem disponat, et sacras regulas, salva debita personae reverentia. Si vero contra fiat, poenae, quae statuta sunt, imminebunt: iudex enim, qui de his sententiam proferre praesumpserit, ab administratione depulsus tanquam divinitus contumeliam faciens, poena decem librarum auri una, cum officio suo multabitur, sacratissimo nostro aerario inferenda: executoribus, qui admonitionem facere praesumpserit ab ipsis sanctissimis episcopis in locis decanicis detrudendis: de caetero nullam exactorem facere permittendis.

In AUTHENT. ut Cler. ap. prop. Episcop. conv. in pr. vers. ut si quis habet, col. 6, tit. 12, al. tit. 11, seu Novel. 83, in pr.

Clericus quoque in lite pulsatus pecuniaria causa, prius apud episcopum conveniatur, per quem sine damno causa decidatur. Quod si natura cause, vel alia ratio faciat, ut negotium apud eum decidi non possit, per civilem procedat iudicem, observatis clericorum privilegiis: nec mora circa talia fiat. — § 1. Sed in civili crimine civilis praesit iudex, ut lis ultra duos non egrediatur menses: nec tamen puniatur, etiam si reus sit inventus, priusquam per episcopum sacerdotio spoliatur. — § 2. Si vero crimen sit ecclesiasticum: episcopalis erit examinatio, et castigatio.

Nova institutio FRIDERICI imperatoris, de statu et consuet. cont. lib. Eccl., § item statuimus, ut nullus, col. 10, constit. fin.

Statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium seculare praesumat contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, a suo jure cadat: iudicium non teneat: et iudex ex tunc potestate iudicandi privetur. — § 1. Sancimus etiam, ut si quis clericis vel ecclesiasticis personis justitiam denegare praesumpserit, tercio requisitus jurisdictionem suam amittat.

34. Idem, AA. Eutropio P. P.

Sacrosanctae orthodoxae fidei episcopi atque presbyteri, diaconi quoque, qui, semel probatis moribus integritate castissima, ad hunc gradum meruerint pervenire, ea, quaecunque in eodem clericatus gradu locoque viventes acquirere, et habere poterint, etiamsi in patris avique aut proavi potestate constituti sint, et adhuc superstites habeantur, tanquam bona propria vindicent: de his (si quando eis libitum fuerit) eis testandi, vel donandi, vel quolibet alio titulo alienandi libera facultate concessa: ut ea bona quoque tempore [nunquam ad divisionem veniant] nunquam fratribus vel sororibus aut ex his genitis conferantur: sed ad eorum filios, posteros, et quoscunque extraneos heredes perveniant, nec a patribus, avis, aut proavis, sed ab ipsorum liberis tanquam praecipua vindicentur: [et] certe his lucro cedant, quibus ipsi id peculium, vel inter vivos alienatione habita, vel mortis tempore ultima, et jure cognita voluntate concesserint. — Dat. 8 kal. april.

In AUTHENT. const. qua dign., col. 6, tit. 10, al. tit. 9, seu Novel. 81.

Sed episcopalis dignitas solvit jus patriae potestatis: sicut etiam et consularis, et praefectura sacrorum praetoriorum, et urbaria, et magisterium militare: et omnis dignitas valens liberare a curia, liberat a patria potestate: cum hoc quodcumque cingulum suae potestatis praemium honoratis praestet. Ita tamen, ut filii eorum post mortem avorum recidant in potestatem, ac si contigisset eos morte parentum, et non ex praesenti lege suae potestatis fieri.

h. t. — 80. L. 4, infr. de fruct. et lit. expens.; L. 79, princ. D. de iudic. — 81. Confer. L. 55, princ. supr. h. t. — 82. Abrog. Auth. seq. — 83. N. 125, c. 21, § 1. — 84. Hoc abrog. N. 51, c. 3. — 85. L. 50, infr. h. t.; N. 125, c. 19. — 86. Restringeret ex d. c. 19, et Auth. presbyteros, infr. h. t. — 87. Vide tamen Auth. licentiam, infr. h. t.; N. 151, c. 15. — 88. L. ult. infr. de decur.

In AUTHENT. de Eccl. tit., § interdicimus, col. 9, tit. 44, al. tit. 6, seu Novel. 131, c. 13.

Licentiam⁸⁹ habeat episcopus, quaecumque ante episcopatum probatus fuerit habuisse, et quaecumque post episcopatum jure cognationis usque ad quartum gradum ad eum pervenerunt, ad quos voluerit, ultima voluntate transmitti: ceteris rebus alio modo acquisitis ab eo, dominio ecclesiae reservatis: nisi in utilitatem ecclesiae, vel opera pietatis consumptae sint. Eadem distinctione habita in administratoribus cujuscumque loci religiosi. — § 1. Item si quis episcopus aut minister ecclesiae moriatur sine testamento, et successore legitimo, vel legitima, successio competat ecclesiae, in qua constituti sunt.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § presbyteros, col. 9, tit. 6, al. tit. fin., seu Novell. 123, c. 19.

Presbyteros, et diaconos, et subdiaconos, cantores, et lectores (quos omnes clericos appellamus) res quolibet modo ad dominium eorum venientes, habere in sua potestate praecipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum: et donare cui volunt secundum leges, et in his testari, licet sub parentum potestate sint: sic tamen, ut horum filii, aut his non extantibus, parentes eorum legitimam ferant partem.

35. *Idem*, AA. Dioscoro P. P.

Omnia⁹⁰ privilegia, quae a retro principibus, aut a nostra serenitate, vel judiciariis dispositionibus, aut liberalitatibus, pro singulis quibuscumque temporibus, ex consuetudine, [vel constitutione,] sive circa jus metatorum, sive in aliis quibuslibet rebus praestita sunt orphanotrophiis, sive asceteriis, vel ecclesiis, aut ptochotrophiis seu xenodochiis, vel monasteriis, atque ceteris omnibus ac [etiam] rebus juris eorum, ad curam aconomi viri religiosissimi presbyteri, et orphanotrophi, vel ad eos, qui post eum loco ejus successerint, pertinentibus, ad similitudinem Zotici beatissimae memoriae, qui primus hujusmodi pietatis officium invenisse dicitur; per hanc pragmaticam sanctionem firma illibataque in perpetuum custodiri decernimus: valde enim hoc videtur esse necessarium: cum exinde sustentatio, vel educatio orphanis, atque egenis, et usibus ecclesiasticis ac ptochotrophiis, vel asceteriis comparetur. Domus etiam aliasque res superius nominatas ad curam memorati viri pertinentes, vel postmodum quolibet modo ad ejus sollicitudinem, vel eorum, qui post eum ad ejusdem orphanotrophi curam vocati fuerint perenturas: ad instar majoris venerabilis ecclesiae hujus indycae urbis: omnibus privilegiis, quae eadem sancta ecclesia vel nunc adipiscitur, vel postea merebitur, perpetuo potiri pietatis intuitu decernimus. — Dat. non. Januar. CP. MARTIANO et ZENO A. CONSS.

36.

Unaquaque civitas proprium episcopum habet. Et si quis vel per divinum rescriptum civitatem aliquam aut suo episcopo, aut territorio, aut alio quopiam jure privare audeat; exiit bonis, et infamis redditur. Excipitur autem Tomensium Scythiae civitas: illius enim episcopus reliquarum etiam civitatum curam gerit: tum etiam Leontopolis Isauriae subest episcopo Isaurropolitano.

37. *Idem*, AA. ad Sebast. P. P.

Jubemus, *adscriptiorum* creationes (secundum veterem constitutionem) nisi⁹¹ dominorum possessionum, unde oriundi sunt, evidens concurrerit consensus, nullus penitus esse momenti: sed eisdem fundorum dominis, qui faciendae creationi non (sicut dictum est) evidenter consenserint, jus proprium ad similitudinem ceterorum colonorum in suos adscriptitios exercendi, tanquam si nulla creatio intercessisset, tribui facultatem. Idemque hoc super illis quoque agricolis decernimus observari, qui cum essent adscriptitiae conditionis nexibus adstricti, solitariam vitam videlicet appetentes, quibuslibet sese monasteriis contra voluntatem dominorum fundorum duxerint offerendos. — § 1. Servos sane socii clericorum consortis, volentibus atque consentientibus dominis, molis omnibus prohibemus: cum liceat eorum dominis, data⁹² prius servis libertate, licitum eis ad suscipiendos honores clericorum iter (si hoc voluerint) aperire. — § 2. Omnes praeterea virorum clarissimorum provinciarum moderantium sententias absque ulla privilegii differentia, (qui tamen praesidali jurisdictioni subjecti sunt) sive episcopi, vel quilibet clerici, aut monachi, aut cujuslibet conditionis sint, pariter respondere decernimus: nulla in posterum viris clarissimis provinciarum rectoribus ad loca, in quibus incusatae personae consistunt, perveniendi necessitate penitus imponenda⁹³: cum non solum legibus, verum etiam naturali quoque juri conveniat, quos res exegerit, judicialibus ad iudicium vocari sententias,

⁸⁹ Adde L. 42, § 2, infr. h. t. — 90. L. 22, § 1, supr. eod. — 91. Abrog. Auth. seq. adscriptitios. — 92. Abrog. Auth. seq. si servus. — 93. Exc. L. 15, D. de iur. jur.; L. 2, § 1, infr. de

non ipsos iudices (quod dictum etiam injustum est) ad subjectos deduci, sed per datos ab his iudices ad causae examinationem in locis, ubi incusati degunt, procedere.

In AUTHENT. de sanct. Episcop., § adscriptitios, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novel. 123, cap. 17.

Adscriptitios in ipsis possessionibus, in quibus sunt adscripti, clericos etiam praeter voluntatem dominorum fieri permittimus: ita tamen, ut clerici facti, impositam sibi agriculturam adimpleant, subrogato aliquo quem maluerint.

In AUTHENT. de sanct. Episc., § si servus, col. 9, tit. 6, al. tit. fin., seu Novel. 123, c. 17.

Si servus, sciente domino, et non contradicente, in clericum ordinatus fuerit ab episcopo: ex hoc ipso, quod constitutus est, liber et ingenuus erit. Si vero, ignorante domino, ordinatus fuerit: liceat domino, intra anni unius spatium, et servilem fortunam probare, et servum suum accipere. Si vero servus, sciente vel nesciente domino (sicut diximus) ideo quod in clero constitutus, liber est factus, ministerium ecclesiasticum reliquerit, et ad secularem vitam transierit: suo domino ad serviendum tradatur.

38. *Idem*, AA. Sebastiano praefecto praetorio.

Servis si dominorum fuerint voluntate muniti, solitariam vitam participandi licentia non denegetur: dum tamen eorum domini non ignorent: quod si servis suis ad monasteriorum cultum migrandi tribuerint facultatem, eorumdem servorum dominio, donec iidem servi in eodem monachorum habitu duraverint, spoliandos esse censemus: alioqui, si relicta forte vita solitaria, ad aliam quamlibet sese conditionem transtulerint, certum est eos ad servitutis jugum, quam monasticae professionis cultu evaserant, reversuros. — Datum non. febr.

In AUTHENT. de sanct. Episcop., § sed haec quidem, col. 9, tit. 6, al. tit. fin., seu Novel. 123, cap. 4.

Episcopalis ordo liberat a fortuna servili, vel adscriptitiae: sed non a curiali sive officiali: nam et post ordinationem durat: ita ut per subjectam, vel interpositam personam officium adimpleatur: nisi curiae, vel officio restituatur.

In AUTHENT. de Monachis, § hinc autem, col. 1, tit. 5, seu Novel. 3, c. 2.

Verum et si legitimo probatus experimento monachus efficiatur, evadit jugum servitutis. Debent enim per triennium, antequam monachi efficiantur, in monasteriis permanere, postea vero si monachi facti fuerint, liberi erunt.

39.

Qui sua monasteria relinquunt, non recipiunt, quas attulerunt ad ea, res mobiles, cujuscumque quantitas sint: etiam si non sint confecta monumentorum gesta super illis. In donationibus autem immobilium, oportet jura servari, quando non admittit ei, qui donavit, evictio⁹⁴ earum. — § 1. Non oportet, episcopos aut clericos cogere quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare: quamvis usus ita obtinuerit. Transgressor cadit ab ecclesia, et administratione ipsius, et dat decem libras. Haec vero obtinent in sola imperatrice (civitate) et territorio ejus, et locis ad eos qui a patriarcha ordinantur, pertinentibus, aut ad ordinatos ab his episcopos.

40.

Monasteria degunt (seu censentur) sub episcopis territoriorum suorum et abbatum quidem curam gerunt episcopi: monachorum vero abbates. — § 1. Non sit vero abbas duorum monasteriorum.

41. Imp. JUSTINUS A. Archelao P. P.

Repetita⁹⁵ promulgatione, non solum iudices quorumlibet tribunalium, verum etiam defensores ecclesiarum hujus almae urbis, quos turpissimum insinuandi ultimas deficientium voluntates genus irrepererat, praemonendos esse censemus, ne rem attingant, quae nemini⁹⁶ prorsus omnium, secundum constitutionum praecipula, praeterquam magistro census, competit: absurdum etenim clericis est, immo etiam opprobriosum, si peritose velint (ostendere) disceptationum esse forensium⁹⁷: temerariibus hujus sanctionis poena quinquaginta librarum auri feriendis. — Datum 15 kal. dec. CP. JUSTINIANO A. 2 et OPILIANO CONSS. 324.

jurej. propt. calumn. — 94. L. 2, infr. de evict. — 95. L. 25, in medio intr. de testam. — 96. Immo vide L. 19, infr. d. t. — 97. L. 17, supr. h. t.

42. Imp. JUSTINIANUS A. Atarbio praef. praet.

Omnes adhibentes providentiam circa sanctissimas ecclesias in honorem, et gloriam sanctae, et incorruptae homousiae Trinitatis, per quam et nos, et communem republicam salvos fore credidimus: insistentes etiam doctrinae sanctorum apostolorum, de creandis irreprehensibilibus sacerdotibus, qui quidem ob id potissimum ordinantur, ut suis precibus⁹⁸ benignitatem humanissimam Dei rebus adquirent communibus, praesenti lege sancimus, ut quoties in qualicumque civitate sacerdotium sedem vacare contigerit, decretum fiat ab his, qui eam civitatem incolunt, super tribus⁹⁹ personis rectae fidei, et honestae vitae, aliorumque bonorum, et virtutum testimonium habentibus, ut ex ipsis idoneior ad episcopatum promoveatur: si enim sancti et gloriosi apostoli sacerdotium a domino Christo Deo consecuti, et qui bonis omnibus terram repleverunt, et ejus doctrinam omnibus impartiti sunt, neque ipsi vitae suae, quam in hoc mundo debebant, salutis nostrae causa pepercerunt: quomodo aequum non fuerit, ut qui subingrediuntur eorum ordinem, et instituuntur sanctissimarum ecclesiarum sacerdotes, purum habeant propositum, et pecunias contemnant, omnemque vitam suam ad clementissimum applicent Deum:

§ 1. Convenit igitur hujusmodi eligi, et ordinari sacerdotes, quibus nec¹⁰⁰ liberi sint, nec nepotes: etenim fieri vix potest, ut vacans hujus quotidianae vitae curis, quas liberi creant parenti maximas, omne studium, omnemque cogitationem circa divinam liturgiam, et res ecclesiasticas consumant. Nam cum quidam, summa in Deum spe, et ut animae eorum salvae fiant, ad sanctissimas adcurrant ecclesias, et eis omnes suas facultates adferant, et derelinquant, ut in pauperes, et egenas, et alios pios usus consumantur: indecens est, episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem, et cognatos impendere. Oportet enim episcopum minime impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spirituales esse patrem. Has igitur ob causas prohibemus habentem natos aut nepotes, ordinari episcopum. — § 2. De his vero episcopis, qui nunc sunt, vel futuri sunt, sancimus, nullo modo habere eas facultates testandi, vel donandi, vel per aliam quamcumque excogitationem alienandi quid de rebus suis, quas postquam facti fuerint episcopi, possederint et adquisierint, vel ex testamentis, vel donationibus, vel ex alia quacumque causa: exceptis duntaxat his, quas ante episcopatum habuerunt ex quacumque causa, vel quas post episcopatum a parentibus et theis, hoc est, patris, vel avunculis, et a fratribus ad ipsos pervenerunt, perventuraeque sunt: quaecumque enim post ordinationem ex quacumque causa extra praefatas personas ad ipsos pervenerunt, ea jubemus ad sanctissimam ecclesiam, cujus episcopatum tenuerint, pertinere, et ab ea vindicari, et evinci: nulla alia persona potestatem habente, ex eo proprium quid auferre lucrum. Quis enim dubitaverit eos, qui ipsis proprias res relinquunt, aut reliquerint, etsi in aliam personam transferant, aut transtulerint, non potius ipsum sacerdotium contemplantes, quam ejus personam, et cogitantes, quia non solum ab ipsis relicta pie insunt, sed et suas ipsorum res adiciunt, id fecisse?

§ 5. Ab hac autem generali nostra lege excipimus ea sola, quaecumque et qualicumque in hunc usque diem fuerint Epiphaniae archiepiscopi felicis hujus civitatis, et sanctissimi patriarchae. Nam super his, quae ab hoc tempore ei adquirentur, ea, quae a nobis constituta sunt, obtinere, et ipsa ad sanctissimam majorem ecclesiam pertinere jubemus. — § 4. Post mortem vero Deo amantissimorum episcoporum, jubemus, ut pro tempore illarum ecclesiarum aconomi rationes reddant earum, quae ab illis relictae sunt, rerum: idque sanctissimis ecclesiis proficere, quod ex hac nostra lege eis debetur. — § 5. Et ipsos quidem aconomos cum iudicio et diligenti discussione creari praecipimus: scientibus ipsis, quod singulis annis rationem referent sanctissimo episcopo suae administrationis: et quacumque in re videbuntur res ecclesiasticas minuisse, vel laesisse, vel proprium questum quaesisse, hoc ecclesiasticis rebus restituent. Itaque siquidem superstitis istiusmodi rationes subierint, fiant quae supra dicta sunt: si vero non redditis rationibus defuncti fuerint: tunc ipsorum haereditas ex illis rationibus, et conveniantur pro restitutione omnium, quae ex ea causa debere illos constiterit. — § 6. Necessarium quoque esse credidimus, etiam super his aliquid definire, qui curam susceperunt susceptive sunt venerabilium xenonum, et nosociorum, et ptochiorum, et orphanotrophiorum, et brephotrophiorum: nam et ipsis omnem licentiam auferimus, de adquisitis rebus post susceptas hujusmodi curationes vel per testamentum vel per alium quemlibet modum, vel machinationem quicquam in alias transferendi personas: exceptis, quae prius habuerant, vel postea a parentibus vel theis, vel

⁹⁸ Adde L. 34, in pr. et § 3, circa fin. infr. tit. prox.; N. 153, c. 5, in fin. — 99. N. 125, c. 1, in pr. et § 1; vide tamen § ult. vers. si vero. d. c. 1. — 100. L. 48, infr. h. t.; N. 6, c. 1, § 4.

fratribus ad ipsos pervenerunt. Omnia enim quaecumque ad sancta pertinent loca, vel quae ad ipsorum praepositos post susceptam hujusmodi curam pervenerunt, vel perentura sunt, ad ipsa venerabilia pertinebunt loca: eaque pie in eos distribui et erogari volumus, qui in illis locis sunt, vel curantur. Manifestum enim est: quod quisquis derelinquit vel donat, sive in scriptis sive sine scriptis xenodocho, vel nosocomo, vel ptochotrophi, vel orphanotrophi, idcirco dat, ut pie per ipsum dispensetur: ut qui multam de eorum pietate praesumptionem et occasionem habeat, qui iis locis praefecti sunt: neque vero justum est, ipsum ea, quae sub praetextu eorum, quae sub ejus cura sunt, accipit, non in ipsos vel pro ipsis impendere, sed in propriam personam auferre, et proprio lucro applicare timore Dei contempto: quis enim tali curae praepositum non existimet idcirco eam suscepisse, ut non solum quae extrinsecus ad eum pervenient, sed etiam omnia, quae habere eum contigerit, in eam rem impendat?

§ 7. Amplius id quoque jubemus, ut quaecumque post necessariam erogationem in eos, qui eorum curae commissi sunt, et debitam curationem rerum et aedificiorum superesse contigerit, ea ad redditum comparationem proficiant: undique enim noster scopus nostraeque intentio est, ad amplificationem et augmentum adducere res ad pios usus segregatas: sic enim quisquis pro sua anima quidquam facere volet, promptius erogabit: si crederit, ea quae ab ipso data fuerint, pie administranda esse. — § 8. Si autem contigerit aliquem ad administrationem sua cessare, quam acceptat: sancimus, eum qui in ejus loco constitutus est, cum timore Domini rationum redditioni subijci gestae sub eo administrationis, sicut divina nostra lege continetur: sciente et eo, qui post ipsum constitutus est, quod domino Deo pro his rationem reddet. — § 9. Praeterea sancimus, (quemadmodum et divinis cautionibus definitum est) ne quis episcopus aut chorepiscopus, aut visitator, sive circuitor aut presbyter, aut alius cujuscumque dignitatis clericus per largitionem ordinetur. Sed nec aconomus, nec ecclesiedicus, nec xenodochns, nec nosocomus, nec ptochotrophus, nec orphanotrophus, nec brephotrophus, nec quisquis ptochio faciendus est, per talem fiat largitionem: sed per iudicium et probationem eorum, qui in illis locis sunt, Deo amantissimorum episcoporum. Si vero quis inventus fuerit occasione praedictarum ordinationum et administrationum aliquid dedisse, vel accepisse, sive episcopus sit, sive clericus: et eum qui praebuit, et eum qui accepit, extra sacerdotium et clerum fieri jubemus: ut post haec domini Dei subjaceant condemnationi. Si autem quis propter praefecturam dedisse quid compertus fuerit, eum qui ita praefectus factus fuerit, extra clerum esse jubemus: si vero aconomus vel ecclesiedicus seu defensor vel chorepiscopus, id est, vel periocheta, visitator vel xenodochns, vel nosocomus, vel ptochotrophus, vel orphanotrophus vel ptochio praepositus comperietur praebuisse quid, ut sibi cura illa committeretur, et hunc removeri ab hujusmodi cura, jubemus.

§ 10. Praeterea sancimus, ut omnes clerici per singulas ecclesias constituti, per seipsos psallant nocturna, et matutina, et vespertina, ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen⁴ quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa liturgiam domini Dei: turpe enim est, pro ipsis scriptos, necessitate ipsis inducta psallere. Si enim multi laicorum, ut suae animae consulant, ad sanctissimas ecclesias confluentes studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo indecens non fuerit clericos ad id ordinatos non implere suum munus? Quapropter omnimodo clericos psallere jubemus, et ipsos inquiri a Deo amantissimis pro tempore episcopis, et duobus presbyteris in singulis ecclesiis, et ab eo, qui vocatur archos vel exarchos, et ab ecclio, sive defensore cujusque sanctissimae ecclesiae: et eos qui inventi non fuerint inculcate in liturgiis perseverantes, extra clerum constitui. Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas ecclesias pro sua salute et communis republicae, reliquerunt illis substantias: ut per eas debeant sacrae liturgiae fieri, et ut in illis a ministrantibus piis clericis Deus colatur. Licentiam autem concedimus omni personae, quae quid horum praetermissum esse cognoverit, ea denuntiare et publicare. — § 11. Ea vero, quae a nobis sancita sunt, fini tradi, et ad effectum perduci cum Dei benignitate jubemus: eos vero, qui in suspicionem venerint, aliquid horum ausu temerario praetermississe, primum quidem ex domini Dei iudicio periculum, ac deinde positas in hac lege poenas sustinere. — Dat. kal. Mart. CP. DN. JUST. P. P. A. 2. CONSS. 528.

43. *Idem*, A. Epiphania archiepiscopo Constantinopolitano et patriarchae.

Omnes semper adhibentes providentiam circa sanctissimas ecclesias, per quas et nostrum imperium sustineri, et communes res clementissimi Dei gratia muniri credidimus, necnon et nostras, et ceterorum omnium

N. 125, c. 1, in pr.; N. 157, c. 2; abrog. N. Leon. 2. — 1. N. 151, c. 13. — 2. Arg. L. 13, infr. arbit. tutelae. — 3. L. 57, supr. h. t. — 4. L. 9, supr. tit. prox.